

LATĪNĀRUM LITTERĀRUM

TABELLĀRUM

CŌDEX PRĪMUS

« Interrogations philosophiques »

Introduction à la philosophie latine

Première partie

Philosophie

antique et médiévale

ÉDITIONS PARIS-ROUEN

LETTRESClassiques.FR

QUANTUM PRŌSIT SAPIENTEM ESSE

Suāve, marī magnō turbantibus æquora ventīs,
ē terrā, magnum alterius spectāre labōrem ;
nōn quia vexārī quemquamst jūcunda voluptās,
4 sed quibus ipse malīs careās quia cernere suāvest.

Per campōs īnstrūcta tuā sine parte perīclī,
suāve etiam bellī certāmina magna tuērī.
Sed nihil dulcius est bene quam mūnīta tenēre
8 ēdita doctrīnā sapientum templa serēnā —
dēspicere unde queās aliōs passimque vidēre
errāre atque viam pālantis quærere vītæ,
certāre ingeniō, contendere nōbilitāte,
12 noctēs atque diēs nītī præstante labōre
ad summās ēmergere opēs rērumque potīrī.

Ō miserās hominum mentēs, ō pectora cæca !
Quālibus in tenebrīs vītæ quantīsque perīclīs
16 dēgitur hoc ævī quodcumquest ! Nōnne vidēre
nīl aliud sibi nātūram lātrāre, nisi ut quī
corpore sējūctus dolor absit — mente fruātur
jūcundō sēnsū, cūrā sēmōta metūque ?

Ē LUCRĒTIĪ (99-55) *DE RERUM NĀTURĀ* LIBRŌ II

QUANTUM BONĪ SIT IN AMĪCITIĀ

¹Tālīs igitur inter virōs, amīcitiā tantās opportunitātēs habet quantās vix queō dīcere. ²Prīncipiō quī potest esse « vītā vītālīs », ut ait Ennius, quæ nōn in amīcī mūtūā benevolentīā conquiēscit ? ³Quid dulcius quam habēre quīcum omnia audeās sīc loquī ut tēcum ? ⁴Quī esset tantus frūctus in prosperīs rēbus, nisi habērēs quīcum illīs æquē ac tū ipse gauderet ? ⁵Adversās vērō ferre difficile esset, sine eō quī illās gravius etiam quam tū ferret. ⁶Dēnique cēteræ rēs quæ expetuntur, opportunæ sunt singulæ rēbus ferē singulis : dīvitīæ, ut ūtāre, opēs, ut colāre, honōrēs, ut laudēre, voluptātēs, ut gaudeās, valētūdō, ut dolōre careās et mūneribus fungāre corporis. ⁷Amīcitiā rēs plūrimās continet : quōquō tē vertēris, præstō est, nūllō locō excluditur, numquam intempestīva, numquam molesta est. ⁸Itaque nōn aquā, nōn ignī, ut āiunt, locīs plūribus ūtimur quam amīcitiā. ⁹Neque ego nunc dē vulgārī aut dē mediocrī, quæ tamen ipsa et dēlectat et prōdest, sed dē vērā et perfectā loquor — quālis eōrum quī paucī nōminantur fuit. ¹⁰Nam et secundās rēs splendidiōrēs facit amīcitiā ; et adversās, partiēns commūnicānsque, leviōrēs.

¹Cumque plūrimās et maximās commoditātēs amīcitiā contineat, tum illa nīmīrum præstat omnibus — quod bonam spem prælūcet in posterum nec dēbilitārī animōs aut cadere patitur. ²Vērū enim amīcum quī intuētur, tamquam exemplar aliquod intuētur suī. ³Quōcircā et absentēs adsunt et egentēs abundant et imbēcillī valent et, quod difficilius dictū est, mortuū vīvunt ; tantus eōs honōs, memoria, dēsīderium prōsequitur amīcōrum. ⁴Ex quō illōrum beāta mors vidētur, hōrum vīta laudābilis. ⁵Quod sī exēmeris ex rērum nātūrā benevolentīæ conjūctiōnem, nec domus ūlla nec urbs stāre poterit, nē agrī quidem cultus permanēbit. ⁶Id sī minus intellegitur — quanta vīs amīcitiæ concordīæque sit — ex dissēsiōnibus atque ex discordiīs percipi potest. ⁷Quæ enim domus tam stabilis, quæ tam firma cīvitas est, quæ nōn odiīs et discidiīs funditus possit ēvertī ? ⁸Ex quō quantum bonī sit in amīcitiā iudicārī potest.

DĒ PRETIŌ TEMPORIS

SENECA LŪCĪLIŌ SUŌ SALŪTEM.

¹Ita fac, mī Lūcīlī : vindicā tē tibi, et tempus quod adhūc aut auferēbātur aut subripiēbātur aut excidēbat collige et servā. ²Persuādē tibi hoc sic esse ut scrībō : quaedam tempora ēripiuntur nōbīs, quaedam subducuntur, quaedam effluunt. ³Turpissima tamen est jactūra quæ per negligentiam fit. ⁴Et sī volueris attendere, magna pars vītæ elābitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tōta vīta aliud agentibus.

EXORDIUM :
tempus
colligat et
servet

¹Quem mihi dabis quī aliquod pretium temporī pōnat, quī diem aestimet, quī intellegat sē cotīdiē morī ? ²In hōc enim fallimur, quod mortem prōspicimus : magna pars ējus jam præterit ; quidquid ætātis retrō est mors tenet. ³Fac ergō, mī Lūcīlī, quod facere tē scrībīs : omnēs hōrās complectere. ⁴Sic fiet ut minus ex crastinō pendeās, sī hodiernō manum injēceris.

Mortem retrō
esse

¹Dum differtur vīta trānscurrit. ²Omnia, Lūcīlī, aliēna sunt, tempus tantum nostrum est : in hūjus rei ūnīus fugācis ac lūbricæ possessiōnem nātūra nōs mīsīt — ex quā expellit quicumque vult. ³Et tanta stultitia mortālium est, ut quæ minima et vīlissima sunt, certē reparābilia, imputārī sibi cum impetrāvere patiantur, nēmō sē jūdicet quicquam debere quī tempus accēpit ; cum interim hoc ūnum est quod, nē grātus quidem, potest reddere.

Quantulī pretiū
tempus
aestimētur

¹Interrogābis fortassē quid ego faciam, quī tibi ista præcipiō. ²Fatēbor ingenuē : quod apud luxuriōsum sed dīligentem ēvenit. ³Ratiō mihi cōstat impēnsæ. ⁴Nōn possum dīcere nihil perdere, sed quid perdam et quārē et quemadmodum dīcam ; causās paupertātis meæ reddam. ⁵Sed ēvenit mihi quod plērisque nōn suō vitiō ad inopiam redāctīs : omnēs ignōscunt, nēmō succurrit.

Sē temporis
impēnsæ
ratiōnem habēre

¹Quid ergō est ? ²Nōn putō pauperem cuī, quantulumcumque superest, sat est. ³Tū tamen mālō servēs tua, et bonō tempore incipiēs. ⁴Nam ut vīsum est mājōribus nostrīs : « Sēra parsimōnia in fundō est. » ⁵Nōn enim tantum minimum in īmō, sed pessimum remanet. ⁶Valē.

PERORATIO :
sēram
parsimōniam
in fundō esse

QUĀLIS ET QUANTA SIT VĪS MEMORIÆ

¹Magna ista vīs est memoriæ, magna nimis, deus meus, penetrāle amplum et īnfīnītum. ²Quis ad fundum ējus pervēnit? ³Et vīs est hęc animī meī, atque ad meam nātūram pertinet — nec ego ipse capiō tōtum quod sum. ⁴Ergō animus ad habendum sē ipsum angustus est ut... ubi sit quod suī nōn capit? ⁴Numquid extrā ipsum ac nōn in ipsō? quōmodo ergō nōn capit? ⁵Multa mihi super hoc oboritur admīrātiō; stupor apprehendit mē. ⁶Et eunt hominēs mīrārī alta montium, et ingentēs flūctūs maris, et lātissimōs lāpsūs flūminum, et oceanī ambitum, et g̃y rōs sīderum; et relinquunt sē ipsōs. ⁷Nec mīrantur quod hęc omnia, cum dīcerem, nōn ea vidēbam oculīs. ⁸Nec tamen dīcerem, nisi montēs, et flūctūs, et flūmina, et sīdera quæ vīdī, et oceanum quem crēdidī, intus in memoriā meā vidērem — spatīis tam ingentibus quasi forīs vidērem. ⁹Nec ea tamen videndō absorbuī, quandō vīdī oculīs; nec ipsa sunt apud mē sed imāginēs eōrum, et nōvī quid ex quō sēnsū corporis impressum sit mihi.

¹Sed nōn ea sōla gestat immēnsa ista capācitās memoriæ meæ. ²Hīc sunt et illa omnia quæ dē doctrīnis liberālibus percepta nōndum excidērunt, quasi remōta interiōre locō — nōn locō. ³Nec eōrum imāginēs, sed rēs ipsās gerō. ⁴Nam quid sit litterātūra, quid perītia disputandī, quot genera quæstiōnum, quidquid hōrum sciō, sic est in memoriā meā ut nōn retentā imāgine rem forīs relīquerim, aut sonuerit et præterierit — sicut vōx impressa per aurēs vestigiō quō recolerētur, quasi sonāret cum jam nōn sonāret; aut sicut odor, dum trānsit et vānescit in ventōs, olfactum afficit, unde trājicit in memoriā imāginem suī quam reminiscendō repetāmus; aut sicut cibus quī certē in ventre jam nōn sapit et tamen in memoriā quasi sapit; aut sicut aliquid quod corpore tangendō sentītur, quod etiam sēparātum ā nōbīs imāginātur memoria. ⁵Istæ quippe rēs nōn intrōmittuntur ad eam, sed earum solæ imāginēs mīrā celeritāte capiuntur; et mīrīs tamquam cellīs repōnuntur; et mīrābiliter recordandō prōferuntur.

¹At vērō, cum audiō tria genera esse quæstiōnum — an sit, quid sit, quāle sit — sonōrum quidem quibus hęc verba cōfecta sunt imāginēs teneō; et eōs per aurās cum strepitū trānsisse, ac jam nōn esse, sciō. ²Rēs vērō ipsās quæ illis sīgnificantur sonīs, neque ūllō sēnsū corporis attigī, neque uspiam vīdī præter animum meum; et in memoriā recondidī nōn imāginēs earum, sed ipsās. ³Quæ unde ad mē intrāverint dīcant, sī possunt! ⁴Nam percurrō jānuās

omnēs carnis meæ, nec inveniō quā earum ingressæ sint. ⁵Quippe oculi dīcunt « sī colōrātæ sunt, nōs eās nūntiāvimus » ; aurēs dīcunt « sī sonuerunt, ā nōbīs indicātæ sunt » ; nārēs dīcunt « sī oluerunt, per nōs trānsierunt » ; dīcit etiam sēnsus gustandī « sī sapor nōn est, nihil mē interrogēs » ; tāctus dīcit « sī corpulentum nōn est, nōn contrectāvī ; sī nōn contrectāvī, nōn indicāvī. » ⁵Unde et quā hæc intrāvērunt in memoriā meam ? ⁶Nesciō quōmodo. ⁷Nam cum ea didicī, nōn crēdidī aliēnō cordī ; sed in meō recōgnōvī, et vērā esse approbāvī et commendāvī eī — tamquam repōnēs unde prōferrem cum vellem. ⁸Ibi ergō erant et antequam ea didicissem, sed in memoriā nōn erant. ⁹Ubi ergō aut quārē, cum dīcerentur, agnōvī et dīxī « ita est, vērū est ! » nisi quia jam erant in memoriā, sed tam remōta et retrūsa quasi in cavīs abditioribus ut, nisi admonente aliquō ēruerentur, ea fortasse cōgitāre nōn possem ?

¹Quōcircā invenīmus nihil esse aliud discere ista — quōrum nōn per sēnsūs haurīmus imāginēs, sed sine imāginibus, sicutī sunt, per sē ipsa intus cernimus — nisi ea quæ passim atque indispositē memoria continēbat, cōgitandō quasi conligere atque animadvertendō cūrāre, ut tamquam ad manū posita in ipsā memoriā, ubi sparsa prius et neglēcta latitābant, jam familiārī intentiōnī facile occurrant. ²Et quam multa hūjus modī gestat memoria mea — quæ jam inventa sunt et, sicut dīxī, quasi ad manū posita — quæ didicisse et nōsse dīcimur. ³Quæ sī modestīs temporum intervallis recolere dēsiverō, ita rūsus dēmerguntur et quasi in remōtiōra penetrālia dilābuntur, ut dēnuō velut excōgitanda sint indidem iterum — neque enim est alia rēgiō eōrum — et cōgenda rūsus, ut scīrī possint. ⁴Id est velut ex quādā dispersiōne conligenda, unde dictum est cōgitāre. ⁵Nam *cōgō* et *cōgitō* sīc est, ut *agō* et *agitō*, *faciō* et *factitō*. ⁶Vērū tamen sibi animus hoc verbum propriē vindicāvit — ut nōn quod alibi, sed quod in animō conligitur, id est cōgitur, cōgitārī propriē jam dīcātur.

EX AUGUSTINI (354-430) *CŌFESSIŌNUM* LIBRŌ X, §§ 15-18

QUID MĒNS PETAT

Quænam discors fœdera rērum
causa resolvit ? Quis tanta deus
vērīs statuit bella duōbus,
4 ut quæ carptim singula cōstent,
eadem nōlint mixta jugārī ?
An nūlla est discordia vērīs
semperque sibī certa cohærent ;
8 sed mēns, cæcīs obruta membrīs,
nequit oppressī lūminis igne
rērum tenuēs nōscere nexūs ?
Sed cūr tantō flāgrat amōre :
12 vērī tēctās reperīre notās ?
Scitne quod appetit ānxia nōsse ?
Sed quis nōta scīre labōrat ?
At sī nescit, quid cæca petit ?
16 Quis enim quicquam nescius optet ?
Aut quis valeat nescīta sequī ?
quōve inveniāt ? Quis reppertam
queat ignārus nōscere fōrmam ?
20 An cum mentem cerneret altam,
pariter summam et singula nōrat ?
Nunc membrōrum condita nūbe,
nōn in tōtum est oblīta suī
24 summamque tenet singula perdēns ?
Igitur quisquis vĕra requīrit
neutrō ēst habitū ; nam neque nōvit
nec penitus tamen omnia nescit.
28 Sed quam retinēns meminit summam
cōsultat, altē vīsa retractāns,
ut servātīs queat oblītās
addere partēs.

EX BOËTHII (V. 476-524) *CŌNSŌLATIŌNIS PHILOSOPHIÆ LIBRĪ V CAPITULŌ III*

QUID RATIO DĒ DEŌ DĪCERE POSSIT

¹Ratiō vērō in hōc ūniversālīter studet : ut suādeat, certīsque vērītātis investigātiōnibus, approbet nīl dē Deō propriē posse dīcī — quoniam superat omnem intellēctum, omnēsque sēnsibilēs intelligibilēsque sīgnificātiōnēs. ²Quī melius nesciendō scītur ; cūjus īgnōrantia vērā est sapientia ; quī vērīus fidēliusque negātur in omnibus, quam affirmātur. ³Quodcunque enim dē ipsō negāveris, vērē negābis. ⁴Nōn autem omne, quodcunque firmāveris, vērē firmābis. ⁵Sīquidem sī approbāveris hoc vel hoc illum esse, falsitātis redargueris, quia omnium quæ sunt, quæ dīcī vel intelligī possunt, nihil est.

¹Sī vērō prōnūntiāveris nec hoc nec illud nec ūllum ille est, vērāx esse vidēberis, quia nihil hōrum quæ sunt et quæ nōn sunt est. ²Ad quem nēmō potest accēdere, nisi prius corrōborātō mentis itinere sēnsūs omnēs dēserat, et intellēctualēs operātiōnēs, et sēnsibilia, et omne quod est et quod nōn est, et ad ūnitātem, ut possibile est, īnscius restituātur ipsīus, quī est super omnem essentiam et intelligentiam. ³Cūjus neque ratiō est, neque intelligentia ; neque dīcitur, neque intelligitur, neque nōmen ējus est, neque verbum.

¹Nōn autem irratiōnābiliter, ut sæpe dīximus, omnia quæ ā summō usque deorsum sunt, dē eō dīcī possunt quādam similitūdine, aut dissimilitūdine, aut contrārietāte, aut oppositiōne, quoniam ab ipsō omnia sunt, quæ dē eō prædicārī possunt. ²Nōn autem similia sibi solummodo condidit, sed et jam dissimilia, quoniam ipse similis est et dissimilis. ³Contrāriōrum quoque causa est. ⁴Virtūte sīquidem eōrum quæ vērē ab eō condita sunt, ea etiam quæ contrāria videntur esse, et per prīvatiōnem essentiæ nōn sunt, vērā ratiō continērī approbat.

¹Nūllum enim vitium invenītur, quod nōn sit alicūjus virtūtis umbra, aut quādam fallācī similitūdine, aut apertā contrārietāte : similitūdine quidem, ut superbia vēræ potentiæ umbram gerit, luxuria quiētis, furor fortitudinis, īra corrēctiōnis iustitiæque, et similia ; contrārietāte vērō, ut malitia bonitātis. ²Quemadmodum enim bonitās ex nōn existentibus existentia dūcit, ut sint ; ita malitia appetit corrumpere omnia quæ sunt, et penitus solvere, ut nōn sint. ³Et sī hoc esset — id est, sī omnia perīrent — simul et ipsa perīret. ⁴Nam sī perīret nātūra, perīret simul et vitium. ⁵Sed virtūte bonitātis omnis nātūra continētur nē pereat.

¹Adhūc tamen malitia permittitur in eā videlicet nātūrā, ad laudem bonitātis ex contrāriō comparātiōne; et exercitātiōnem virtūtum, ratiōnābilī operātiōne, et pūrgātiōnem ipsīus nātūræ — quandō *absorbēbitur mors in victōriā*, et sōla bonitās in omnibus et appārēbit, et rēgnābit, et ūniversāliter est peritūra malitia. ²Sed dē hīs in quīntō lātius disputābitur. ³Nūlla itaque auctōritās tē terreat ab hīs quæ rēctæ contemplātiōnis ratiōnābilis suāsio ēdoctet. ⁴Vēra enim auctōritās rēctæ ratiōnī nōn obsistit, neque rēctā ratiō vēræ auctōritātī. ⁵Ambō sīquidem ex ūnō fonte, dīvinā videlicet sapientiā, mānāre dubium nōn est.

EX JŌHANNIS SCŌTĪ ĒRIGENÆ (800-876)
DĒ DĪVĪSIŌNE NĀTŪRÆ LIBRŌ PRĪMO (§ 66)

CŪR DEUS VĒRĒ SIT

II. *Quod vērē
sit Deus*

¹Ergō Domine, quī dās fideī intellēctum, dā mihi, ut, quantum scīs expedīre, intelligam, quia es sicut crēdimus, et hoc es quod crēdimus. ²Et quidem crēdimus tē esse aliquid quō nihil mājus cōgitārī possit. ³An ergō nōn est aliqua tālis nātūra, quia *dixit insipiēns in corde suō* : « *nōn est Deus* »^a ? ⁴Sed certē ipse idem insipiēns, cum audit hoc ipsum quod dīcō : « aliquid quō mājus nihil cōgitārī potest », intelligit quod audit ; et quod intelligit, in intellēctū ejus est, etiam sī nōn intelligat illud esse. ⁵Aliud enim est rem esse in intellēctū, alium intelligere rem esse.

¹Nam cum pictor praecōgitat quae factūrus est, habet quidem in intellēctū, sed nōndum intelligit esse quod nōndum fēcit. ²Cum vērō jam pīnxit, et habet in intellēctū et intelligit esse quod jam fēcit. ³Convincitur ergō etiam insipiēns esse — vel in intellēctū — aliquid quō nihil mājus cōgitārī potest, quia hoc, cum audit, intelligit, et quidquid intelligitur, in intellēctū est.

¹Et certē id quō mājus cōgitārī nequit, nōn potest esse in sōlō intellēctū. ²Sī enim vel in sōlō intellēctū est, potest cōgitārī esse et in rē ; quod mājus est. ³Sī ergō id, quō mājus cōgitārī nōn potest, est in sōlō intellēctū : id ipsum quō mājus cōgitārī nōn potest, est quō mājus cōgitārī potest. ⁴Sed certē hoc esse nōn potest. ⁵Existit ergō procul dubiō aliquid quō mājus cōgitārī nōn valet, et in intellēctū et in rē.

III. *Quod nōn
possit cōgitārī
nōn esse*

¹Quod utique sic vērē est, ut nec cōgitārī possit nōn esse. Nam potest cōgitārī esse aliquid, quod nōn possit cōgitārī nōn esse ; quod mājus est quam quod nōn esse cōgitārī potest. ²Quārē sī id quō mājus nequit cōgitārī, potest cōgitārī nōn esse : id ipsum quō mājus cōgitārī nequit, nōn est id quō mājus cōgitārī nequit ; quod convenire nōn potest. ³Sic ergō vērē est aliquid quō mājus cōgitārī nōn potest, ut nec cōgitārī possit nōn esse.

¹Et hoc es tū, Domine Deus noster. ²Sic ergō vērē es, Domine, Deus meus, ut nec cōgitārī possis nōn esse — et meritō. ³Sī enim aliqua mēns posset cōgitāre aliquid melius tē, ascenderet creatūra super creatōrem et jūdicāret dē creatōre ; quod valdē est absurdum. ⁴Et quidem quidquid est aliud praeter tē solum, potest cōgitārī nōn esse. ⁵Sōlūs igitur vērissimē omnium et ideō

a. Ps. 13,1 ; 52,1

maximē omnium habēs esse, quia quidquid aliud est, nōn sīc vērē, et idcirco minus habet esse. ⁵Cūr itaque dīxit īnsipiēns in corde suō : « nōn est Deus », cum tam in prōmptū sit ratiōnālī mentī tē maximē omnium esse ? ⁶Cūr, nisi quia stultus et īnsipiēns ?

*IV. Quōmodo
īnsipiēns dīxit
in corde quod
cōgitārī nōn
potest*

¹Vērūm quōmodo dīxit in corde quod cōgitāre nōn potuit ; aut quōmodo cōgitāre nōn potuit quod dīxit in corde, cum idem sit dīcere in corde et cōgitāre ? ²Quod sī vērē, immo quia vērē et cōgitāvit, quia dīxit in corde, et nōn dīxit in corde, quia cōgitāre nōn potuit : nōn ūnō tantum modō dīcitur aliquid in corde et cōgitātur. ³Aliter enim cōgitātur rē, cum vōx eam sīgnificāns cōgitātur, aliter cum id ipsum quod rēs est intelligitur. ⁴Illō itaque modō potest cōgitārī Deus nōn esse, istō vērō minimē. ⁵Nūllus quippe intelligēns id quod Deus est, potest cōgitāre quia Deus nōn est, licet haec verba dīcat in corde, aut sine ūllā aut cum aliquā extrāneā sīgnificātiōne. ⁶Deus enim est id quō mājus cōgitārī nōn potest. ⁷Quod quī bene intelligit, utique intelligit id ipsum sīc esse, ut nec cōgitātiōne queat nōn esse. ⁸Quī ergō intelligit sīc esse Deum, nequit eum nōn esse cōgitāre.

Grātiās tibi, bone Domine, grātiās tibi, quia quod prius crēdidī tē dōnante, jam sīc intelligō tē illūminante, ut, sī tē esse nōlim crēdere, nōn possim nōn intelligere.

EX ĀNSELMĪ (1033-1109) *PROSLOGION*, CAPITA II-IV

QUO MODO GUILLHELMĪ DE ŪNIVERSĀLIBUS
SENTENTIAM DĒSTRŪXERIT

¹Ēlāpsīs autem paucīs annīs, cum ex īnfirmitāte jam dūdum convaluissem, prāceptor meus ille Guillhelmus Parisiacēnsis archidiāconus, habitū prīstinō commūtātō, ad rēgulārium clēricōrum ōrdinem sē convertit — eā, ut referēbant, intentiōne : ut, quō religiōsior crēderētur, ad mājōris praelātiōnis gradum prōmōvērētur. ²Sicut in proximō contigit — eō Catalaunēnsī^a episcopō factō. ³Nec tamen hic sūae conversiōnis habitus aut ab urbe Parīsius aut ā cōnsuētō philosophiāe studiō revocāvit. ⁴Sed in ipsō quoque monastēriō, ad quod sē causā religiōnis contulerat, statim mōre solitō publicās exercuit scolās.

¹Tum ego ad eum reversus ut ab ipsō rhētoricam audīrem, inter cētera disputātiōnum nostrārum cōnāmina, antiq̄uam ējus dē ūniversālibus sententiam, patentissimīs argūmentōrum ratiōnibus, ipsum commūtāre — immō dēstruere compulī. ²Erat autem in eā sententiā dē communitāte ūniversālium : ut eadem essentiāliter rem tōtam simul singulīs suīs inesse astrueret indivīduīs, quōrum quidem nūlla esset in essentiā dīversitās sed sōlā multitudīne accidentium varietās. ³Sic autem istam tunc suam corrēxit sententiam : ut deinceps rem eadem nōn essentiāliter sed indifferenter dīceret. ⁴Et quoniam dē ūniversālibus in hōc ipsō prācipua semper est apud dialēticōs quāestiō, ac tanta, ut eam Porphirius quoque, in Ysogogīs suīs cum dē ūniversālibus scriberet, dēfinīre nōn præsūmeret, dīcēs « Altissimum enim est hūjusmodī negōtium », cum hanc ille corrēxerit — immō coāctus dīmiserit sententiam, in tantam lēctiō ējus dēvolūta est negligentiam, ut jam ad cētera dialecticāe vix admitterētur, quasi in hāc scīlicet dē ūniversālibus sententiā tōta hūjus artis cōsisteret summa.

¹Hinc tantum rōboris et auctōritātis nostra suscēpit disciplīna, ut hīi quī anteā vehementius magistrō illī nostrō adhærēbant et maximē nostram īfestābant doctrīnam, ad nostrās convolārent scolās ; et ipse quī in scolīs Parīsiacae sēdis magistrō successerat nostrō locum mihi suum offerret, ut ibī-

a. *Catalaunēnsis* = de Châlons

dem cum ceteris nostrō sē trāderet magisteriō, ubi antea suus ille et noster magister floruerat. ²Paucis itaque diebus ibi mē dialecticæ studium regente, quantā invidiā tãbescere, quantō dolōre æstuãre cēperit magister noster nōn est facile exprimere. ³Nec conceptæ miseriæ æstum diū sustinēns, callidē aggressus est mē tunc etiam removēre. ⁴Et quia in mē quid apertē ageret nōn habēbat, eī scolās auferre mōlītus est, pessimīs objectīs crīminibus, quī mihi suum concesserat magisterium — aliō quōdam emulō meō ad officium ējus substitūtō.

EX ABÆLARDI (1079-1142) *HISTORIA CALAMITATUM*

DĒ ŪTILITĀTE GRAMMATICÆ

¹Dēclārātō igitur quod ūna est sapientia perfecta quæ sacrīs litterīs continētur, per jūs canonicum et philosophiam exponenda, quā mundus habet^a rēgī, nec alia requiritur scientia prō ūtilitāte generis hūmānī. Nam tōtam jūris et philosophiæ continet in sē potestātem ; nunc volō dēscendere ad ea philosophica quæ maximē valent hūjus sapientiæ magnificæ expositiōnī. ²Et hæc sunt quīnque, sine quibus nec dīvīna nec hūmāna scīrī possunt, quōrum certa cōgnitiō reddit nōs facilēs ad omnia cōgnōscenda. ³Et prīmum est grammatica in linguīs aliēnīs exposita, ex quibus ēmānāvit sapientia Latīnōrum. ⁴Impossibile enim est quod Latīnī perveniant ad ea quæ eīs necessaria sunt in dīvīnīs et hūmānīs nisi per nōtitiam aliārum linguārum, nec perficiētur eīs sapientia absolūtē, nec relātē ad Ecclesiam Deī, et reliqua tria prænōtātā^b. ⁵Quod volō nunc dēclārāre, et prīmō respectū scientiæ absolūtæ. ⁶Nam tōtus textus sacer ā Græcō et Hebræō trānsfūsus est, et philosophia ab hīs et Arabicō dēducta est ; sed impossibile est quod proprietās ūnius linguæ servētur in alia.

⁷Nam et idiōmata ējusdem linguæ variantur apud dīversōs, sicut patet dē lingua Gallicānā, quæ apud Gallicōs et Picardōs et Normannōs et Burgundōs et cēterōs multiplicī idiōmate variātur. ⁸Et quod propriē et intelligibiliter dīcitur in idiōmate Picardōrum horrēscit apud Burgundōs, immō apud Gallicōs vīcīniōrēs, quantō magis igitur accidet hoc apud linguās dīversās ? ⁹Quāpropter quod bene factum est in ūna lingua nōn est possibile ut trānsferātur in aliam secundum ējus proprietātem quam habuit in priōrī. ¹⁰Unde Hierōnymus in epistolā dē optimō genere interpretandī sic dīcit, « Sī ad verbum interpretor, absurdum resonat. » ¹¹Quod sī cū nōn vidētur linguæ gratiam interpretātiōne mūtārī, Homērum ad verbum exprimat in Latīnum ! ¹²Plus aliquid dīcam : eundem in suā linguā prōsæ verbīs interpretētur ; vidēbit ōrdinem rīdiculum et poētā ēloquentissimum vix loquentem. ¹³Quīcunque enim aliquam scientiam, ut logicam vel aliam quamcunque, bene sciat, eam nītātur in linguam convertere māternam, vidēbit sē nōn solum in sententiīs sed in verbīs dēficere, ita quod scientiam sic trānslātā nūllus intelligere poterit secundum ipsius scientiæ potestātem. ¹⁴Et ideō nūllus Latīnus sapientiam scrīptūræ

a. *Habeo* + inf. = *debeo*

b. Le gouvernement des croyants, la conversion des infidèles, la défense de la chrétienté.

sacræ et philosophiæ poterit ut oportet intelligere, nisi intelligat linguās a quibus sunt trāslātæ.

¹⁵Secundō cōsiderandum est quod interpretēs nōn habuerunt vocābula in Latīnō prō scientiīs trānsferendīs, quia nōn fuerunt primō compositæ in linguā Latīnā. ¹⁶Et propter hoc posuerunt īfinita dē linguīs aliēnīs, quæ sicut nōn intelliguntur ab eīs quī illās linguās īgnorant, sic nec rīte prōferuntur nec scribuntur ut decet. ¹⁷Atque, quod vīle est, propter īgnorantiam linguæ Latinæ posuerunt Hispānicum, et aliās linguās māternas, quasi īfinitēs^a prō Latīnō. ¹⁸Nam prō mille millibus exemplīs ūnum pōnātur dē librō Vegetābilium Aristotēlis, ubi dicit « *Belenum* in Perside perniciosissimum trānsplantātum Jerusalem fit comestibile ». ¹⁹Hoc vocābulum nōn est scientiāle sed laicōrum Hispānōrum. ²⁰Nam jusquiamus, vel semen cassilāginis, est ējus nōmen in Latīnō; quod sicut multa alia prius ab Hispānīs scholāribus meis dērisus cum nōn intelligebam quæ legēbam, ipsīs vocābula linguæ māternæ scientibus, tandem didici ab eisdem.

²¹Tertiō cum oporteat interpretem optimē scīre scientiam quam vult trānsferre et duās linguās a quā et in quam trānsferat, sōlus Boēthius primus interpres nōvit plēnariē linguārum potestātem; et sōlus dominus Rōbertus dictus Grossum Caput, nūper episcopus Lincolniēnsis, nōvit scientiās. ²²Alii quīdam mediū, ut Gerardus Cremōnēnsis, Michaēl Scōtus, Alurēdus Anglicus, Hermannus Alemannus quem vīdimus Parīsius, dēfēcerunt multum tam in linguīs quam in scientiīs; sicut īdem Hermannus dē sē ipsō et dē aliīs est cōfessus quod ostendit ipsōrum trāslātiō. ²³Nam tanta est perversitās et crūdītās et horribilis difficultās maximē in librīs Aristotēlis trāslātīs, quod nūllus potest eōs intelligere, sed quilibet aliī contrādīcit, et multiplex reperitur falsitās, ut patet ex collātiōne dīversōrum interpretum et textuum dīversārum linguārum. ²⁴Et similiter in textū sacrō inveniuntur falsa et male trāslāta quamplūrima. ²⁵Nam Hierōnymus probat trāslātiōnem LXX interpretum et Theodotiōnis et Aquilæ multās habuisse falsitātēs, quæ quia fuerunt vulgātæ per tōtam Ecclesiam, et omnēs stābant maximē prō trāslātiōne LXX sicut prō vītā, reputābātur Hierōnymus falsārius et corruptor scriptūrārum, donec paulātim clāruit vērītās Hebraica per sānctum Hierōnymum in Latīnum conversa.

EX ROGERII BACONIS (1214-1294) *OPERIS MAJORIS* (III, 1)

a. Cf. *deciēs, centiēs...*

VĒRUM ESSE ADÆQUATIŌNEM REĪ ET INTELLĒCTŪS

Dīcendum quod sicut in dēmōnstrābilibus oportet fieri redūctiōnem in aliqua principia per sē intellēctū nōta, ita investīgandō quid est ūnumquodque : aliās utrōbique in īnfīnitum irētur, et sic perīret omnīnō scientia et cōgnitio rērum. Illud autem quod prīmō intellēctus concipit quasi nōtissimum — et in quod conceptiōnēs omnēs resolvit — est ēns, ut Avīcenna dīcit in prīncipiō suæ *Metaphysicæ*. Unde oportet quod omnēs aliæ conceptiōnēs intellēctūs accipiantur ex additiōne ad ēns.

Sed entī nōn possunt addī aliqua quasi extrānea per modum quō differentia additur generī, vel accidēs subjectō, quia quælibet nātūra est essentiāliter ēns. Unde probat etiam Philosophus in III *Metaphys.*, quod ēns nōn potest esse genus, sed secundum hoc aliqua dīcuntur addere super ēns : in quantum expriment modum ipsius entis, quī nōmine entis non exprimitur. Quod dupliciter contingit.

Ūnō modō ut modus expressus sit aliquis speciālis modus entis. Sunt enim dīversī gradūs entitātis, secundum quōs accipiuntur dīversī modi essendī, et juxtā hōs modōs accipiuntur dīversa rērum genera. Substantia enim non addit super ēns aliquam differentiam, quæ dēsīgnat aliquam nātūram superadditam entī, sed nōmine substantiæ exprimitur speciālis quīdam modus essendī — scīlicet per sē ēns. Et ita est in aliīs generibus.

Aliō modō ita quod modus expressus sit modus generālis cōsequēns omne ēns. Et hic modus dupliciter accipī potest : ūno modo secundum quod cōsequitur ūnumquodque ēns in sē ; aliō modō secundum quod cōsequitur ūnum ēns in ōrdine ad aliud. Sī prīmō modō, hoc est dupliciter quia vel exprimitur in ente aliquid affirmātivē vel negātivē. Non autem invenitur aliquid affirmātivē dictum absolūtē quod possit accipī in omnī ente, nisi essentia ējus, secundum quam esse dīcitur. Et sic imponitur hoc nōmen « rēs » — quod in hōc differt ab ente, secundum Avīcennam in prīncipiō *Metaphys.* : quod ēns sūmitur ab āctu essendī, sed nōmen reī exprimit quiditatem vel essentiam entis. Negātiō autem cōsequēns omne ēns absolūtē, est indivīsiō. Et hanc exprimit hoc nōmen ūnum : nihil aliud enim est ūnum quam ēns indivīsum. Sī autem modus entis accipiātur secundō modō, scīlicet secundum ōrdinem ūnūs ad alterum, hoc potest esse dupliciter. Ūnō modō secundum dīvīsiōnem ūnūs ab alterō ; et hōc exprimit hoc nōmen aliquid. Dīcitur enim aliquid qua-

si aliud quid ; unde sicut ens dicitur unum, in quantum est indivisum in se, ita dicitur aliquid, in quantum est ab aliis divisum.

Alio modo secundum convenientiam unius entis ad aliud. Et hoc quidem non potest esse nisi accipiatur aliquid quod natum sit convenire cum omni ente : hoc autem est anima, quae « quodam modo est omnia », ut dicitur in III *De anima*. In anima autem est vis cognitiva et appetitiva. Convenientiam ergo entis ad appetitum exprimit hoc nomen bonum, unde in principio *Ethicorum* dicitur quod « bonum est quod omnia appetunt ». Convenientiam vero entis ad intellectum exprimit hoc nomen verum. Omnis autem cognitio perficitur per assimilatiōnem cognoscentis ad rem cognitam, ita quod assimilatiō dicta est causa cognitiōnis : sicut visus per hoc quod disponitur secundum speciem coloris, cognoscit colorem. Prima ergo comparatiō entis ad intellectum est ut ens intellectu concordet : quae quidem concordia adaequatiō intellectus et rei dicitur ; et in hoc formaliter ratio veri perficitur. Hoc est ergo quod addit verum super ens, scilicet conformitatem, sive adaequatiōnem rei et intellectus ; ad quam conformitatem, ut dictum est, sequitur cognitio rei. Sic ergo entitas rei praecedat rationem veritatis, sed cognitio est quidam veritatis effectus. Secundum hoc ergo veritas sive verum tripliciter invenitur diffiniri.

Uno modo secundum illud quod praecedat rationem veritatis, et in quo verum fundatur. Et sic Augustinus diffinit in Lib. *Solil.* : « Verum est id quod est » ; et Avicenna in sua *Metaphysic.* : « Veritas cuiusque rei est proprietatis sui esse quod stabilitum est ei » ; et quidam sic : « Verum est indivisio esse, et quod est. Alio modo diffinitur secundum id in quo formaliter ratio veri perficitur ; et sic dicit Isaac quod « veritas est adaequatiō rei et intellectus » ; et Anselmus in Lib. *De veritate* : « Veritas est rectitudo sola mente perceptibilis ». Rectitudo enim ista secundum adaequatiōnem quamdam dicitur, et philosophus dicit *IV Metaphysicæ*, quod diffinientes verum dicimus cum dicitur esse quod est, aut non esse quod non est. Tertio modo diffinitur verum, secundum effectum consequentem ; et sic dicit Hilarius, quod « Verum est declarativum et manifestativum esse » ; et Augustinus in Lib. *De vera relig.* : « Veritas est qua ostenditur id quod est » ; et in eodem libro : « Veritas est secundum quam de inferioribus iudicamus ».

EX THOMAE AQUINATIS (1224-1274) PRIMA QUÆSTIÖNE DISPUTATA DE VERITATE

QUÆSTIŌ UTRUM SUBSTANTIA MĀTERĪĀLIS EX SĒ
SĪVE EX NĀTŪRĀ SIT INDĪVIDUA VEL SINGULĀRIS

1. Circā distīnctiōnem tertiam quærendum est dē distīnctiōne persōnālī in angelīs. Ad videndum autem dē istā distīnctiōne in eīs, primō quærendum est dē distīnctiōne indīviduālī in substantiīs māteriālibus, dē quā sicut dīversī dīversimodē dīcunt, ita cōsequenter dīcunt dē plūrālītate indīviduōrum in eādem speciē angelicā. Et ut videātur dē dīversīs opiniōnibus distīnctē, quæ quærentur dē distīnctiōne vel indistīnctiōne substantiæ māteriālis, quærō singulātīm dē dīversīs modīs pōnendī, — et primō, utrum substantia māteriālis ex sē sive ex nātūrā suā sit indīvidua vel singulāris.
2. **Quod sīc :** Philosophus VII *Metaphysicæ* probat contrā Platonem quod « substantia cūjuscumque rei est propria illī cūjus est, et nōn inest aliī » ; igitur, etc. Igitur substantia māteriālis ex nātūrā suā, circumscriptō omnī aliō, est propria eī cū inest, ita quod ex nātūrā suā nōn potest inesse aliī ; igitur ex nātūrā suā est indīvidua.
3. **Contrā :** Quidquid inest alicuī ex rātiōne suā per sē, inest eī in quōcumque ; igitur sī nātūra lapidis dē sē esset “hæc”, — in quōcumque esset nātūra lapidis, nātūra illa esset “hic lapis”. Cōsequēns est inconueniēns loquendō dē singulārītate dēterminātā, dē quā est quæstiō.
4. Prætereā, illī cū dē sē convenit ūnum oppositum, eī dē sē repūgnat aliud oppositum ; igitur sī nātūra dē sē sit ūna numerō, repūgnat eī multitudō numerālis.
5. **Opiniōnis expositiō** — Hīc dīcitur quod sicut nātūra ex sē fōrmālīter est nātūra, ita est ex sē singulāris, ita quod nōn oportet quærere aliam causam singulārītātis ā causā nātūræ ac sī nātūra prius — tempore vel nātūrā — sit nātūra quam sit singulāris et tunc per aliquid adueniēns contrahātur ut fiat singulāris.
6. **Quod probātur per simile :** Quia sicut nātūra ex sē habet vērū esse extrā animam, nōn autem habet esse in animā nisi ab aliō — id est ab ipsāmet animā (et rātiō est, quia esse vērū convenit eī simpliciter, esse autem in animā est esse ējus secundum quid) — ita ūniversālītās nōn convenit rei nisi secundum esse secundum quid, scīlicet in animā. Singulārītās autem convenit rei secundum vērū esse, et ita ex sē et simpliciter. Est igitur quærenda causa quārē nātūra est ūniversālis (et dandus est “intellectus” prō causa), — nōn autem est quærenda aliqua causa quārē nātūra est singulāris, alia ā nātūra rei, mediāns inter ipsam et ējus singulārītatem, sed eādem causæ quæ sunt causæ ūnitātis rei, sunt et singulārītātis ējus ; ergō, etc.
7. **Contrā istud arguitur sīc :** Objectum in quantum est objectum, est prius nātūrālīter

ipsō āctū, et in illō priōre — per tē — objectum est ex sē singulāre, quia hoc semper convenit nātūræ nōn acceptæ secundum quid sive secundum esse quod habet in animā; igitur intellectus intelligēns illud objectum sub ratiōne universālis, intelligit ipsum sub ratiōne oppositā suæ ratiōnī, quia ut præcēdit āctum dēterminātūr ex sē ad oppositum illius ratiōnis, scilicet universālis.

8. Prætereā, cūjuscumque ūnitās reālis, propria et sufficiens, est minor ūnitāte numerālī, illud nōn est dē sē ūnum ūnitāte numerālī (sive nōn est dē sē hoc); sed nātūræ existentis in istō lapide, est ūnitās propria, reālis sive sufficiens, minor ūnitāte numerālī; igitur, etc.
9. Mājor dē sē patet, quia nihil est dē sē « ūnum » ūnitāte mājōre ūnitāte sibi sufficiente : nam sī propria ūnitās — quæ dēbētūr alicuī dē sē — sit minor ūnitāte numerālī, numerālis ūnitās nōn convenit sibi ex nātūrā suā et secundum sē (aliter præcisē ex nātūrā suā haberet mājōrem et minōrem ūnitātem, quæ circā idem et secundum idem sunt opposita, — quia cum ūnitāte minōre sine contrādictiōne potest stāre multitudō opposita mājōrī ūnitātī, quæ multitudō nōn potest stāre cum ūnitāte mājōre, quia sibi repūgnat; igitur, etc.).
10. **Probātiō minōris :** Quia sī nūlla est « ūnitās reālis » nātūræ, minor singulāritāte, et omnis ūnitās « alia ab ūnitāte singulāritātis et nātūræ specificæ » est minor ūnitāte reālī, igitur nūlla erit « ūnitās reālis » minor ūnitāte numerālī; cōsequēns falsum, sicut probabō quinque vel sex vīs; igitur, etc.
11. **Prīma via est tālis :** Secundum Philosophum X *Metaphysicæ* « in omnī genere est ūnum prīmum, quod est metrum et mēnsūra omnium quæ sunt illius generis ».
12. Ista ūnitās prīmī mēnsūrantis est reālis, quia Philosophus probat quod “ūnī” convenit prīma ratiō mēnsūræ, et dēclārat per ōrdinem quōmodo illud est “ūnum” cū convenit ratiō mēnsūrandī in omnī genere. Ista autem ūnitās est alicūjus in quantum est “prīmum” in genere : est ergō reālis, quia mēnsūrāta sunt reālia et reāliter mēnsūrāta; ēns autem reāle nōn potest reāliter mēnsūrarī ab ente ratiōnis; igitur est reālis.
13. Ista autem ūnitās nōn est numerālis, quia nūllum « singulāre » est in genere, quod sit mēnsūra omnium illōrum quæ sunt in illō genere, nam secundum Philosophum III *Metaphysicæ* « in indīviduīs ējusdem speciēi nōn est hoc prius et illud posterius ». [...]

EX DUNS SCŌTĪ (1266-1308) *ŌRDINATIŌNE* (II, 3, 1, 1)

QUID EST INTENTIO PRIMA ET QUID SECUNDA
ET QUOMODO DISTINGUUNTUR AB INVICEM

Et quia dictum est in præcedenti capitulo quod quædam sunt nomina primæ intentionis et quædam secundæ intentionis, et ignorantia significationum vocabulorum multis est errandi occasio, ideò incidenter videndum est quid sit intentio prima et quid secunda, et quomodo distinguuntur.

Est autem primo sciendum quod intentio animæ uocatur quiddam in animā, nātum significare aliud. Unde, sicut dictum est prius, ad modum quo scriptura est secundarium signum respectu vocum, quia inter omnia signa ad placitum instituta voces obtinent principatum, ita voces secundaria signa sunt illorum quorum intentiones animæ sunt signa primaria. Et pro tanto dicit Aristoteles quod voces sunt « earum quæ sunt in animā passionum notæ ». Illud autem existens in animā quod est signum rei, ex quo propositio mentalis componitur ad modum quo propositio vocalis componitur ex vocibus, aliquando uocatur intentio animæ, aliquando conceptus animæ, aliquando passio animæ, aliquando similitudo rei, et Boethius in *Commento super Perihermēnias* vocat intellectum. Unde vult quod propositio mentalis componitur ex intellectibus : non quidem ex intellectibus qui sunt realiter animæ intellectivæ, sed ex intellectibus qui sunt quædam signa in anima significantia alia et ex quibus propositio mentalis componitur. Unde quandoque aliquis profert propositionem vocalem, prius format interius unam propositionem mentalem, quæ nullius idiomatica est, in tantum quod multum frequenter formant interius propositiones quas tamen propter defectum idiomatica exprimere nesciunt. Partes talium propositionum mentalium vocantur conceptus, intentiones, similitudines et intellectus.

Sed quid est illud in anima quod est tale signum ? Dicendum quod circa istum articulum diversæ sunt opinionēs. Aliqui dicunt quod non est nisi quoddam fictum per animam. Alii, quod est quædam qualitas subjectivè existens in animā, distincta ab actu intelligendi. Alii dicunt quod est actus intelligendi. Et pro istis est ratio ista quia « frustra fit per plura quod potest fieri per pauciora ». Omnia autem quæ salvantur ponendo aliquid distinctum ab actu intelligendi possunt saluari sine tali distincto, eo quod supponere pro alio et significare aliud ita potest competere actui intelligendi sicut alii signo. Igitur præter actum intelligendi non oportet aliquid aliud ponere.

Dē istīs autem opiniōnibus inferius perscrūtābitur, ideo prō nunc sufficiat quod intentiō est quiddam in anima, quod est sīgnum nātūrālīter sīgnificāns aliquid prō quo potest supponere vel quod potest esse pars prōpositiōnis mentālīs.

Tāle autem sīgnum duplex est. Ūnum, quod est sīgnum alicūjus rei quæ nōn est tāle sīgnum, sīve sīgnificet tāle sīgnum simul cum hōc sīve nōn, et illud vocātur intentiō prīma ; quālis est illa intentiō animæ quæ est prædicābilis dē omnibus hominibus et similiter intentiō prædicābilis dē omnibus albēdinibus et nigrēdinibus et sīc dē aliīs. Vērūmtamen sciendum est quod « intentiō prīma » dupliciter accipitur : strictē et largē. Largē dīcitur intentiō prīma omne sīgnum intentiōnāle existēns in animā quod nōn sīgnificat intentiōnēs vel sīgna præcisē, sīve sit sīgnum strictē accipiendō « sīgnum » prō illō quod sīc sīgnificat quod nātum est supponere in prōpositiōne prō suō sīgnificato sīve sit sīgnum large accipiendō “sīgnum”, illo modo quo dīcimus syncatēgorēma sīgnificāre. Et istō modō verba mentālīa et syncatēgorēmata mentālīa et conjūctiōnēs et hūjusmodī possunt dīci intentiōnēs prīmæ. Strictē autem vocātur intentiō prīma nōmen mentāle, nātum prō suō sīgnificātō supponere.

Intentiō autem secunda est illa quæ est sīgnum tālium intentiōnum primārum, cūjusmodī sunt tālēs intentiōnēs « genus », « species » et hūjusmodī. Sīcut enim dē omnibus hominibus prædicātur ūna intentiō commūnis omnibus hominibus, sīc dīcendō « iste homo est homo », « ille homo est homo », et sīc dē singulīs, ita dē illīs intentiōnibus quæ sīgnificant et supponunt prō rēbus prædicūtur ūna intentiō commūnis eīs, sīc dīcendō « hæc speciēs est speciēs », « illa speciēs est speciēs », et sīc dē aliīs. Similiter sīc dīcendō « lapis est genus », « animal est genus », « color est genus », et sīc dē aliīs, prædicātur ūna intentiō dē intentiōnibus, ad modum quō in tālibus « homo est nōmen », « asinus est nōmen », « albēdō est nōmen » prædicātur ūnum nōmen dē dīversīs nōminibus. Et ideō sīcut nōmina secundæ impōsitiōnis sīgnificant ad placitum nōmina primæ impōsitiōnis, ita secunda intentiō nātūrālīter sīgnificat primam. Et sīcut nōmen primæ impōsitiōnis sīgnificat alia quam nōmina, ita primā intentiō sīgnificat aliās rēs quam intentiōnēs.

Potest etiam dīci quod intentiō secunda potest accipī strictē prō intentiōne quæ sīgnificat præcisē primas intentiōnēs, vel largē prō intentiōne quæ sīgnificat intentiōnēs et sīgna ad placitum institūta, si tamen sit aliqua tālis.

EX GUILLELMĪ DĒ OCKHAM (1287-1347) *SUMMA LOGICÆ* (I, 12)

Table des matières

1. Lucrèce, « QUANTUM PRŌSIT SAPIENTEM ESSE ».....	p. 1
2. Cicéron, « QUANTUM BONĪ SIT IN AMĪCITIĀ ».....	p. 2
3. Sénèque, « DĒ PRETIŌ TEMPORIS ».....	p. 3
4. Augustin d’Hippone, « QUĀLIS ET QUANTA SIT VĪS MEMORIÆ ».....	p. 4
5. Boèce, « QUID MĒNS PETAT ».....	p. 6
6. Erigène, « QUID RATIO DĒ DEŌ DĪCERE POSSIT ».....	p. 7
7. Anselme, « CŪR DEUS VĒRĒ SIT ».....	p. 9
8. Abélard, « QUŌ MODŌ DĒ ŪNIVERSĀLIBUS SENTENTIAM DĒSTRŪXERIT ».	p. 11
9. Roger Bacon, « DE ŪTILITĀTE GRAMMATICÆ »	p. 13
10. Thomas d’Aquin, « VĒRUM ESSE ADÆQUĀTIONEM REĪ ET INTELLĒCTŪS »	p. 15
11. Duns Scot, « UTRUM SUBSTANTIA MĀTERĪALIS EX SĒ SĪVE EX NĀTŪRĀ SIT INDĪVIDUA »	p. 17
12. Guillaume d’Ockham, « QUID SIT INTENTIŌ PRĪMA ET QUID SECUNDA »	p. 19

De Lucrèce à Guillaume d'Ockham, un premier aperçu de la philosophie en latin.

Nous inaugurons ici, avec Lucrèce, une collection de textes utiles pour apprendre — une chrestomathie, donc — le latin et la philosophie. Elle couvrira l'ensemble de la latinité, du premier siècle avant J.-C. au XVIIe. Cette première partie couvre l'ensemble de l'antiquité et du Moyen Âge. Nous avons, pour commencer, un (tout) petit ensemble de quatre ou cinq textes pour initier à la philosophie en latin, utilisable en terminale, avec un texte majeur de chacun des philosophes majeurs de l'antiquité. Ils sont ici rangés dans l'ordre chronologique. Si la difficulté de la langue y est décroissante, la longueur des extraits, en revanche, est croissante, de sorte qu'on peut les étudier dans l'ordre proposé.

Les huit textes médiévaux (dont l'orthographe a été standardisée) présentent un latin très accessible, à cause de sa proximité avec les langues modernes. On a pu inclure ainsi, au milieu de textes très abordables au plan philologique, comme l'extrait choisi dans l'œuvre de Roger Bacon, des textes conceptuels plus ardues, à l'image de l'extrait de Duns Scot.

Rouen, août 2015